



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCCXIV. Ioannis Papae VIII. Ad Hincmarvm Archiepiscopvm
Rhemensem. Vt in locum Hincmari ordinetur episcopus in ecclesia
Laudunensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA CCCXIV.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD HINCMARVM ARCHIEPISCOPVM RHEMENSEM.

Vt in locum Hincmari ordinetur episcopus in ecclesia
Laudunensi.

*Ioannes episcopus seruus seruorum Dei Hincmaro
archiepiscopo Rhemensi.*

QUAMVIS de sanctitatis tuæ iudicio nihil dubitasse-
mus, quia tamen carissimus filius noster Carolus in-
uictissimus imperator, a nobis diligentissime percunctatus,
circumstantiam iudicii a beatitudine tua, coepiscopisque
suis, in Hincmarum dudum Laudunensem episcopum
prolati apostolatu nostro retulit, agnouimus iustum fuisse
omnino iudicium. Neque enim tantus princeps nisi veritate
fultum quidquam poterat affirmare. Vnde nefas esse
duximus eius relationi non præbere incunctanter auditu-
m. Noli ergo iam nunc ecclesiam Laudunensem vidua-
tam, & sine regimine pastoralis dimittere: sed indifferen-
ter electum, & de Laudunensis ecclesiæ clero, virum ido-
neum, & in quo omnium vota consentiant, eidem eccle-
siæ præfice prorsus episcopum. Cui electioni volumus
etiam missum præfati piissimi imperatoris interesse, ut sine
sæcularium strepitu omni latere talis eligatur, qui aptus
sacris Canonibus esse modis omnibus approbetur. Optamus
sanctitatem tuam in Christo bene valere. *Data est Ro-
mæ Theodorico, iussu papæ Joannis, & domni Caroli noui impe-
ratoris, per manus Anastasii bibliothecarii, in secretario ecclesiæ
sancti Petri, anno incarnationis dominicæ DCCCLXXVI. No-
nis Ianuarii, indictione IX. Et delata est ab eodem Theodorico in
ciuitate Rhemis Hincmaro Rhemorum archiepiscopo, eodem anno,
& eadem indictione, v. Idus Martii.*

NOTA IACOBI SIRMONTI
SOCIETATIS IESV.

Quamuis de sanctitatis tuæ.] Superstite Hincmaro Laudunensi
alium in eius locum subrogari iubet, Carolo imperatori de illius de-
positione assentiens, quam Hadrianus improbat. Itaque tertio post
mense electus est Hedenulfus.